

cis in modum tráuersis exprimam in subsequenti figura, quæ plano fundamēto representando destinabitur. Iam versus propugnacula intra muros mutuo transuersos, anteriori rotundo muro octo testudines industria diligentia astruentur, quæ latitudinem intra muros suffulticos totam occupent, quò spacii beneficio expeditum sui vsum præbeant. Atq; parietes, qui vtrobiq; ad perpendiculum attollentur, circino ita excauandi sunt, vt confractos testudinum fornices præferentes, quæ fastigiantur fossam spectent. Quæ tamen excauatio totū parietem adeo non penetrabit, vt bipedalis laterculorum crassities fiat reliqua. His ita comparatis, tormentorum apertiones commensurata analogia perforetur, arctiores atq; laxæ magis, prout vſus, cui destinantur, postulauerit. Anguli foraminum exteriōres ad circini finitionem diligentius præcidentur, vt repugnationis forma exigente, vtroque missilia expedite in obſidentes dirigi queant. Introrsum enim spacii abunde relinquuntur tormentis, huc illūcque transferendis. Lapidē ipsorum parietum interiores ita commodissimè iungentur, vt ſui positu, mutuisq; nixibus testudinum fornices imitentur. Foramina singula ambiente annulo confirmanda sunt, cuius robore murus subnixus, firmius subsiftat. Apertiones muri, quæ maioribus tormentis eiaculandis laxiores destinātur, ostiolis claudentur, quæ ex robusta crassorum afferum contabulatione cōſtituta, frequētioribus ex ferro laminis ita vinciēda sunt, vt appellantibus iniuriis non facile cedant. Ideoq; ferreo pefſulo vecteue instruentur, quo obiecto reductōque modo claudi, modo referari queant, prout temporis ratio fuaserit. Atque in his ipſis fenestrīs minusculas apertiones construi expedit, per quas cùm à maioribus tormentis feriandum eſt, minoribus missilibus hostem furtim affligas. Cæterum in sequenti plani fundamenti definitione ad murum crassum atque rotundum, expressimus testudineum fornīcē, qualem singulis propugnaculis superstrui expediet. Ibidem & hoc à nobis perscriptum, qua forma in singulis caminus aptè possit attolli, nimirum vt aggeris attollēdi præceptio antè à nobis definita, vñā cum sequenti vniuersam huius operis rationē absolute comprehendat.

Iam qua ratione minoris fossæ murus attollendus sit, hac methodo finiamus. Primūm igitur ad vallum muri procliuis linea exterior ducenda eſt, ex fundamenti erecti puncto indeorsum versus, ad pedes duodenos rectā decurrēs. Ex quo puncto & alia ē contrario ad perpendiculum excitabitur, duodecim itē pedibus affurgens, supra quam fimbriæ instar quiddam vallum ambiens, ad tres pedes circumquaque attolletur, quod super muro propenso accubans solidē consistat. Post huius item fundamenti perscriptionem, proximum eſſe videtur, vt aggeris frontem perficiamus. Hoc itaque & vſus ratio postulat, vt pro singulis stationum fenestrīs terni lapides firmissimi, duo ad angulos, tertius inter hos medius, muro inserti forinsecus prætendantur, quibus afferes injecti tabulati vſum præbeat, quoties vel noui quippiam operi aſtruendum erit, vel contracta via emendanda. Deinde superficiem aggeris euectam aduersus hostium iniurias tutandi variam paſsim rationem vſurpari intelligo. Sunt enim